

1239

C O D I C E S

1240

CCCXIV.

786 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 112. 8. propria, ut videtur, Autoris manu nitide scriptus et olim e Thesauro *Ambrosiano* huc translatus insignitur minio: *Ad serenissimum inuictissimumque orbis dominum. maximilianum cesarem: Joannis tritemij abbatis peapolitani* (sive ad S. Jacob. Herbipoli a *rom* Herba) *liber octo questionum in nomine christi incipit.* Praeit Index harum Quaestionum in *Castello Bopardiano* Autori a *Maximiliano* pro curiositate sua encyclopaedica propositarum. Responsta subscripta sunt: *Ex ciuitate neometana* (Spira) *X. die mensis Julij. Anno Christianorum Millesimo Quingentesimo Octauo.* Egit jam de iis *Lambecius* L. II. p. 805. edit. *Kollar.* col. 634. Quoniam vero non nisi *Paralipomenon Petri Bles.* et *Job. Tritemii* a *Job. Busaeo* S. J. *Mogunt.* 1605. et *Colon.* 1624. 8. editorum, quibus insertae sunt, meminit, iuuerit et separatas Editiones mihi cognitatas hic adscribere. Sunt vero: *Oppenbemi* 1515. 4. *Coloniae* 1534. et 1603. 4. *Francofurti* 1550. et 1610. 8. *Duaci* 1621. 4. Quibus adde Versionem germanicam interprete *Hier. Zieglero Ingolstadii* 1555. 4.

CCCXV.

48 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 118. f. max. per duas columnas minute scriptus

et rubricatus exhibet I. *Petri Lombardi* Ep. Parisini *Libros IV. Sententiarum*, quibus sibi et *Magistri* nomen promeruit. *Fol. 1. pag. 2.* incipit Praefatio: *Aliquid de penuria ac tenuitate nostra cum pauperula in gazophilacium domini mittere. ardua scandere. opus ultra vires nostras agere presumpsimus &c.* Editio princeps *f. l. et a. f.* quae cum reliquis Sec. XV. editionibus anno 1784. e *Bibliotheca Garellia* in Caesaream translata est, vocem *Cupientes* praemittit, cujus omisso sensum tamen nullatenus turbat. Librum quemvis antecedit *Index Capitum.* Quartus et ultimus sic definit: *qui a facie sedentis exorsus per media ad pedes usque uia duce peruenit.*

II. et quidem *fol. 79.* exhibet Codex noster Opusculum, cujus haec rubrica est: *Incipiunt distinctiones super totum psalterium. secundum magistrum Thomam Nouonensem. quas fecit cum legeret Parisus.* Praefatiuncula incipit: *Preoccupemus. faciem eius in confessione. Est introitus interior et exterior &c.* Sequitur alia rubrica: *Incipit liber ymnorum uel Soliloquiorum prophete de Christo.* Et sub hac: *Dauid dicitur eximius prophetarum Propter humilitatem. unde de eo dicitur in primo Reg. III. cap. Inueni uirum f. c. m. Propter regiam dignitatem. Vnde dicitur. Oleo sancto meo unxi eum. Propter factam ei de Christo promissionem. Vnde. de fructu ventris tui ponam f. t. Propter dictorum suorum excellentiam.*